Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26375
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quorsum est. sed scriptum est. Excelsus dominus et h. r. Melius ergo est
ut humilis sis et videaris. quam sublimis et ignoreris. Aves vola-
do lacescunt et descendunt super terram ut requiescant. sed alie loca
munda diligunt. alie lutosa et polluta exquirunt. Si ergo descendis
munda sit requies tua. Quid est contemplatio nisi celum. Quid est operatio nisi
terra. In contemplatione volas. in operatione sedes. Sed elige loca
munda. opera munda et bona. fuge lutosa ubi coinquinatio est
contingentis. hoc est opera immundicie inquinantia proprie inqui-
te. Non ergo repelleris cum reverberaris. quam sibi non residens vali-
dior consurges. In corde meo abscondi eloquia t. ut non p. t.
In corde eloquium dei abscondit. qui illud in dilectione suscipit. per me-
moriam retinet. per humilitatem tegit. Si numquam tegeretur non fove-
retur. si numquam manifestaretur non multiplicaretur. Cor nidus est. ver-
bum ovum. opus pullus. Fove et nutri. non vivificatur non nutritur
Peccas si non recipis. peccas si receptum reicis. peccas si retentum
ante tempus exponis. Primo duricia. secundo negglegentia. tertio su-
perbia. Ideo absconde ea ne pecces. Benedictus es domine. d. m. i. t.
Non auditores legis iusti sunt apud deum sed factores. Igitur per bonum
opus iustificat deus. Iustificationes dei novit qui intelligit
iustum esse ut qui mala cum delectatione perpetravit. bonum sine do-
lore et labore facere non possit. nec instat in pena qui hu-
miliatur pro culpa.
In labiis meis pronuntiavi. o. i. o. t. Bonus ordo. Primum humili-
tas silentii. deinde studium boni operis. postremo fiducia pro-
nuntiandi verbi. In corde meo abscondi eloquia tua. silentium. do-
ce me iustificationes. opus. In labiis meis pronuntiavi. ver-
bum. Duo sunt que homini labia tollunt ut loqui non possit. ignorantia